



Ayuntamiento de Madrid
año 1724

liter manere consuêvit, exposuit quid dixerit, Apud vos manebit, cum adiunxit & dixit, In vobis erit.

¶ Si enim non abiero, Paráclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mitram eum ad vos. ***** Cum autem venerit ille, docêbit vos omnem veritatem, allelúia. **✠** Non enim loquêtur à semetípso: sed quacúmque áudiet, loquêtur: & quæ ventúra sunt, annuntiábit vobis. Cum autem. **G**loria Patri. Cum autem.

Lectio ix.

ERgo invisibíliter vidêtur. Nec, si non sit in nobis, potest esse in nobis ejus sciéntia: sic enim à nobis vidêtur in nobis & nostra consciéntia. Nam faciém videmus altérius, nostram videre non póssumus: consciéntiam verò nostram videmus, altérius non videmus. Sed conscién-

tia numquam est nisi in nobis: Spíritus autem sanctus potest esse étiam sine nobis. Datur quippe ut sit & in nobis: sed vidéri & scire, quemádmódum vidéndus & sciéndus est, non potest à nobis, si non sit in nobis. Post promissiônem Spíritus sancti, ne quisquam putáret, quòd ita eum Dóminus datúrus fúerit velut pro seípso, ut non & ipse cum eis esset futúrus, adjécit atque ait: Non relinquam vos órphanos, véniam ad vos. Quamvis ergo nos Fílius Dei suo Patri adoptáverit filios, & eúmdem Patrem nos volúerit habere per grátiam, qui ejus Pater est per naturam: tamen étiam ipse circa nos patérnum afféctum quodámmódò demónstrat, cum dicit: Non relinquam vos órphanos.

Te Deum laudámus. 13.



Museo Municipal
de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

N.º

20175